

§. IX. His ita constitutis aggredimur interpretationem textus, quem repræsentavimus, sicuti bonâ fide descriptus & à manu Generosi Domini de Eyben, Serenissimo Duci Luneburgensi & Brunovicensi à Consiliis Patroni nostri honoratissimi, mihi communicatus, qui ipse hujus antiquitatis describendæ copiam à Perquam Reverendo, Domn. Jo. MABIL-LON Parisiis ipsi factam mihi deprædicabat. A quo equidem pro Viri humanitate collationem cum aithographo in Monasterio S. Amandi reperto facilè impetrassem, nisi terræmotu superioribus annis ibi bibliotheca Monasterii damnum grave passa fuisset, ut ex literis adjectis patet.

§. X. Prima Strophe suspecta alicui videri possit, & nescio quâ recentior reliquis, quum nec nomen Regis *Ludovig* cum adspiratione scribatur, ut in sequentibus; Et certum est, durius pronunciatum fuisse, & scriptum etiam *Chlodoveus* & *Chlodovechus*, teste *H. Junio in Batav. c. 9. pag. 167.* adeò ut credi possit, carmen hoc capite truncatum à veteri descriptore & conservatore fuisse repertum, atque vel ab ipso vel à recentiore aliud appositum fuisse. Sed nihil desinio: præsertim quum & *Otfridus Monachus Weissenburgensis*, qui etiam illis temporibus scripsit & volumen Evangeliorum rhythmo Germanico comprehensum *Ludovico I. Regi Germanorum* dedicavit, itidem absq; adspiratione *Ludovici* nomen expresserit.

v. 4. *Weil er ihms lohnet.*

Quia mercedem ei tribuit.

Alludere Poëta videtur ad id quod dixit Deus ad Abrahamum: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. XV. Et quod Siracides in fine libri: *Ope-*
rami-

Authent.

Ludvv.